

D. O. M.

THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

I.


ULLI non humani corporis parti gravioris aliquid incommodi pertimeſcendum norunt, imò & experiuntur omnes quotquot exiſtunt. Alii aliam ſedem impugnant affectus vel rariores vel frequentiores. In poſteriorum claſſem veniunt morbi ex quibus oritur continuitatis in oſſibus ſolutio. Quo magis autem vitæ muniis neceſſaria judicatur pars læſa, eo quoque promptius efflagitat remedium. Omnes & ſingulas oſſium fracturas vel leviter perſtringere opus ſit ut arduum nimis, ſic & propoſito noſtro parùm congruens. Itaque, præmiſſis quæcumque ſpectant fracturas in genere, iis duntaxat inſiſtemus quæ ad maxillam inferiorem fractam pertinent.

II.

FRACTURAM non immeritò vocant continui in oſſe ſolutionem à quâcumque causâ externâ & contundente productam.

III.

Cum autem multiplicis ſit generis fractura, operæ pretium eſt ſpecies ipſius ac differentias recognoſcere. Deſumuntur ex harum-ce fracturarum eſſentiâ, ex oſſe fracturam paſſo, ex ſolutionis figurâ, ex partium læſarum amotione & tandem ex accidentibus.

IV.

Externæ ſunt fracturarum cauſæ. Internæ verò quando extant, quaſi prædiſponentes habentur.

V.

Haud ſanè perito difficilis fracturarum Diagnoſis, quippè quæ ex visû, tactû, crepitatione & accidentibus ut plurimùm deducitur. Signa autem prognoſtica, exploratis ſemel differentiis æquè facile eſt eruere.

VI.

Valent ars & natura in obtinendâ fracturarum curatione. Modò hæc, modò illa efficacior. Sæpiſſimè ſibi mutuò auxiliantur.

VII.

Maxilla inferior, ſecunda faciei pars, cum oſſibus temporum firmiter, & tamen facillimo cum motu connexa, ſuos habet, ut cæteræ corporis partes, morbos. Potiſſimùm autem fracturæ eſt obnoxia. Quo labis genere affectam intuituri, antequàm deſcendamus ad methodum in curatione obſervandam, nihil non præſtabimus ut propoſitis circa anatomicam partis illius ſtructuram quæſtionibus faciamus ſatis.

VIII.

Varia poteſt eſſe maxillæ inferioris fractura ab iiſdem ac reliquorum oſſium fracturæ, cauſis profecta. Quod attinet ſive ad Diagnoſim ſivè ad prognoſim, ex ſupra dictis conſtat quomodo utraque deducenda ſit.

I X.

Ut ritè ac feliciter institui possit maxillæ inferioris fractæ curatio, plurima requiruntur tùm ex parte naturæ, tùm ex artis subsidio.

X.

Ex parte quidem naturæ requiritur ut succus osseus quo partes priùs disjunctæ adunari debent, sit bonæ indolis. Unde mira existit ad medelam facilitas.

X I.

Ex artis subsidio tria potissimùm ad optatos exitus perducunt. Primum ut eædem partes apprimè ac solerter approximentur, quod obtinetur mediantibus extensione, contra-extensione & repositione. Secundum ut in statû naturali repositæ firmiter contineantur per situm & apparatum. Tertium denique ut præcaveantur futura accidentia mediis generalibus ac victûs agendi ratione, & debellentur præsentia pro re natâ & secundum artis regulas.

Has Positiones, Deo Juvante, & Præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* PETRUS COSSON, *Burdigalensis, in Almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister, & Chirurgus Regis ordinarius.*

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Veneris 7 â Septembris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. anno R. S. 1759.

PRO ACTU PUBLICO

ET SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis P. Al. Le Prieur, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ. 1759.